traherent bellumque desererent; Tunc etiam amazonum gentis et cimeriorum in asiam repentinus
incursus plurimam diu late vastationem stragemque edidit; Anno ante urbem conditam XX
lacedemonii contra messenios propter spretas virgines suas in sollemni messeniorum sacrificio
per annos XX indefesso furore bellantes ruine sue totas grecie vires implicuere; Qui cum
se magnis execrationibus devovissent sacramentisque obstrinxissent domum nisi mesana expug
nata numquam esse redituros ac per X annos longa fatigati obsidione nec tamen aliquem vin
cendi fructum adepti sunt; Porro autem et querelis uxorum super longa viduitate et periculo ste
rilitatis contestantium per moram revocarentur. Consultatione habita veriti ne incepta spe
subolis sibi magis hac perseverantia quam messeniis perditio nutriretur; electos in exercitu eos
quibus post ius iurandum in supplementum militie venerant spartam remittunt quibus promiscuos om
nium feminarum concubitus permisere infami satis nec tamen inutili licentia; Ipsi autem pro
posito insistentes expugnant fraude messenios victos servitio premunt; At illi diu cruentam
dominationem verbera et vincla perpessi iugum excutiunt arma sumunt bellum instaurant;
Lacedemonii tyrteum atheniensem poetam ducem prelio legunt; Qui tribus conflictibus fusi
amissum exercitum vocata in libertatem servorum manu supplevere; Sed cum sic quoque desisten
dum certamine propter metum periculi arbitrarentur tyrtei poete et ducis composito carmine
et pro contione recitato rursus accensi mox in certamen ruunt; Tanta autem in animos
concursum est utrarum ut numquam cruentius prelium exarserit; ac postremum tamen victoria
lacedemoniorum fuit; Tertio mesenii reparavere certamen; nec lacedemoniis mora fuit;
multas enim in auxilium copias utrimque duxere; Athenienses vero lacedemonios alibi in
tentos infestos e diverso aggredi parant; nec lacedemonii quievere; Nam ipsi in mesenios occu
pati pelopenses inmiserunt qui athenienses prelio exciperent; Athenienses autem missa
in egyptum parva classe impares viribus navali congressu facile vincuntur; Dehinc re
cepta classe aucti etiam militum robore victores in prelium vocant; Lacedemonii quoque
omissis meseniis in athenienses arma convertunt; Diu varie et graves pugne et anceps
victorie status ac postremum pendente eventu utrimque discessum est; Sciendum tamen est
maxime ipsam esse spartam quam et lacedemoniam civitatem atque inde lacedemonios spar
tanos dici; Igitur inde revocati lacedemonii ad meseniorum bellum ne medium tempus
otiosum atheniensibus relinquerent cum thebanis paciscuntur ut boeotiorum imperium
eis restituerent quod temporibus belli persici amiserant si illi atheniensium bella
susciperent; Tantus furor spartanorum erat ut duobus bellis implicati suscipere
tertium non recusarent dummodo inimicis suis hostes adquirerent; Athenienses
tanta bellorum tempestate permoti duos duces delegerunt periclen spectate virtutis
virum et sofoclen scriptorem tragoediarum; Qui diviso exercitu et spartanorum fines
late populati sunt et multas asie civitates atheniensium imperio adiecerunt;

© HAB http://diglib.hab.de/mss/80-gud-lat/start.htm?image=00018

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen

Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation

Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991

© Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/hab_mss80-gud-lat/0018

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale